

morte paterna. Et cum nuncij hec noua retullissent Nogay truffatus est de hoc & dixit se non iturum. cum uero nuncij habuissent responsum nogay discesserunt ab eo & arripuerunt iter. & tantum equitauerunt quod peruenerunt ad curiam eorum dominj/ cui retulerunt quod nogay omnibus remotis non ueniet. cum toctay intellexisset id quod nogay ei dicendo mitebat. habuit in magnum contemptum. & dixit ita alte quod omnes circumstantes audire potuerunt. Si deus me saluet uel nogay coram [me] ueniet facturus rationem filijs tholubuga/ uel ego supra ipsum accedam cum omnibus meis gentibus ad destruendum ipsum. Ergo. nullam moram fecit. set statim duos alios nuncios ei transmisit & uerba qualia poteritis audire /. Qualiter Toctay mitit nuntios Nogay :/

**D**uo predicti nuncij quibus Toctay ambaxiatam imposuerat iter arripuerunt & tantum equitauerunt quod peruenerunt ad curiam Nogay & coram ipso iuerunt & bene & curialiter salutauerunt. quibus Nogay respondit/ quod bene uenerunt. post hoc unus ex nuncijs per hunc modum fuit locutus. domine Nogay Toctay uobis mitit dicendo quod si non| uenietis ad curiam suam <sup>129<sup>v</sup></sup> redditurus rationem filijs tholubuga ipse supra uos cum omnibus suis gentibus ueniet/ & uobis totum dampnum quod poterit faciet in ere & persona & ideo respicite quid facere uultis super hoc & per nos dicendo mitatis. cum rex Nogay intellexisset id quod Toctay ei mitebat dicendo magnum despectum habuit. & nuncijs in hunc modum respondit dominj nuntij ad dominum uestrum reuertimini & ex mei parte dicite ei quod parum de guera sua timeo. et etiam dicite ei quod si supra me ueniet non exspectabo quod intret in terram meam. set ei ueniam obuam ad dimidietatem uie. & hec mito domino uestro dicendo. Et cum nuncij intellexissent id quod Nogay eis responderat nulam moram fecerunt/ set iter arripuerunt & tantum equitauerunt/ quod ad eorum dominum peruenerunt/ cui retulerunt omnia que nogay ei dicendo mitebat. & quod dixerat quod de sua guera non curabat & obuam ueniet usque ad dimidietatem uie/ & cum Toctay hoc intellexisset/ & uidisset quod aliter quam per gueram non posset negotium pertransire nulam moram fecit set statim suos nuncios per multas partes transmisit. omnibus suis subditis quibus dicere fecit/ quod essent omnes parati causa eundi contra regem Nogay. fecit namque magnam munimina. Nogay quidem quando firmiter sciuit quod toctay supra ipsum accedere uolebat| cum tanta gentis multi- <sup>130<sup>r</sup></sup> tudine/ fecit similiter magna munimina. set non tam magna sicut Toctay. quia non habebat tantam gentem nec posse set tamen fecit ualde magna munimina/ hic naratur qualiter rex toctay Juit contra nogay.

**E**t cum rex toctay bene preparatus fuisset/ iter arripuit cum omnibus suis gentibus. nam habebat bene circa ducenta milia equitum. & equitauerunt tantum quod peruenerunt in planiciem Nerghi que est ualde magna &